



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

31. An regulares possint exponere Eucharistiam publicè absque licentia
Episcopi? Ex p. 11. t. 2. & Misc. 2. r. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

Ergo manentibus istis, manent & illa. Deinde dicta vota non pugnant cum statu Episcopali, imò plurimum illum adiuvant. Ergo, & cum votum sit obligatio personalis, sequitur personam in quocumque statu. Hæc sententia est satis probabilis, & consulenda; sed ex timo contrarium sua probabilitate non carere. Dico igitur omnia vota supradicta, durante Episcopatu, suspendi, secluso tamen voto Patrum Societatis de audiendo Præposito Generali, si aliqui ex ipsis ad Prælationes ascendant, eiusque consilia sequendo, si meliora visa fuerint.

3. Prima pars probatur, quia supradicta vota emittuntur ad conservationem, & augmentum status Religiosi, & Communitatis, & observantia, & ad profectum Religiosorum, & ædificationem secularium. Ergo Regularis ad Episcopatum assumptus non tenetur talia vota observare. Probo confessionem, quia est exemptus iugo Monasticæ Professionis, & ab observatione Regulari. Cæteras rationes videbis apud Castrum Palaum, tom. 3. tract. 16. disp. 4. punct. 24. num. 5. & seq. vbi in particulari de omnibus supradictis votis id probat, quod etiam docet nouissimè Machadus tom. 2. lib. 4. par. 6. tract. 17. docum. 2. num. 5. Secunda verò pars conclusionis, nempe votum Patrum Societatis de audiendo Præposito Generali, &c. perdurare in statu Episcopali, probatur, quia tale votum pro tali statu emittitur. Ergo si in assumptione ad Episcopatum non obligaret, ad nihil deseruiret, & irritorium esset. Et ita hanc sententiam tenet Palaus, vbi supra, num. 4. & 8. & Sanchez in Summa tom. 2. lib. 6. cap. 6. num. 15. cum Vazquez, & Suarez penes ipsos; quibus nouissimè adde Amicum in *Curs. Theolog.* tom. 4. disp. 32. sect. 7. num. 101. & Lezanam in Summa 99. Regul. par. 2. cap. 4. n. 15. Nec aliter, quidquid alij dicant. Ego sensu est in tom. 9. in par. 5. tract. 2. * resol. 65. quod patet, quia, quando Auctores asserunt aliquod enunciatum, & illud non explicant, vel limitant, aut distinguunt, sed citant tantum ad illius confirmationem auctoritatem alicuius Doctores illud enunciatum est intelligendum secundum mentem, explicationem, limitationes, & distinctiones Doctores ab ipso citati; & hoc est ita clarum, vt non indigeat probatione. Vnde dixit Bartolus in leg. non solum §. liberationis, num. 7. ff. de lib. & leg. Cardinalis Albanus in *Lucubrat. super Bartolum*, ibidem num. 3. dictum Doctores intelligendum esse secundum legem quam adducit; quod etiam obseruat Antonius de Sousa in Lusitania liberata, lib. 1. cap. 6. num. 22. Acacius Enkelius de *Præleg. Iur. Civilis* lib. 2. cap. 2. num. 24. Valencuela tom. 2. consil. 187. num. 106. Gutierrez *Pract.* 99. lib. 1. q. 2. num. 22. Ioseph Vela *differ.* 24. num. 66. Franciscus Ansaldo, consil. 142. num. 42. § 1. & 347. & consil. 36. num. 3. & 4. Gratianus in *Discept.* tom. 2. cap. 215. num. 31. Bertrandus lib. 1. c. consil. 128. num. 5. Iason in leg. cum filio famil. num. 129. ff. de legat. 1. Corneus lib. 2. consil. 124. num. 25. & alij communiter: sed ego in dicta mearesol. 65. existimaui opinionem negatiuam esse probabilem, quam tuetur Sanchez, non explicando aliud. Ergo meum enunciatum est intelligendum secundum mentem Sanchez à me citari; qui asserit, vota Religiosorum annexa tribus substantialibus, non obligare, durante Episcopatu; secluso tamen voto Patrum Societatis Iesu, de audiendo Præposito Generali.

4. Negandum est igitur (vt legentibus patebit) me in dicta resolutione admisisse negatiuam sententiam tanquam probabilem absolute; sed admisisse negatiuam sententiam tanquam probabilem, quam tuetur Sanchez: sed Sanchez tenet opinionem negatiuam, quoad alia vota, non autem quoad istud, de quo

est questio. Ergo sententia negatiua, quam ego tanquam probabilem admisi, intelligenda est de illis, & non de isto, secundum mentem Sanchez, quem ego cito, & cui ego adhaesi. Quod confirmatur, quia ego dum in prima opinione affirmatiua dictæ Resolutionis adduxerim exemplum de voto Minorum, & de dicto voto Patrum Societatis, Postea in secunda opinione negatiua, pro qua citauit Sanchez, tantum mentionem faci de voto Patrum Minorum, & dixi, non obligare in statu Episcopali. De voto autem Patrum Societatis nihil asserui; quia Sanchez illud in opinione negatiua non includebat, neque ego includere intendebam, eius opinionem citando, & sequendo. Assero igitur cum ipso, vota aliorum Religiosorum, quæ annexantur tribus votis substantialibus, non obligare, durante Episcopatu, secluso, & excepto voto Patrum Societatis de Præposito Generali audiendo, &c. Et ita Resolutione 65. tunc sensi, & nunc iterum sentio.

RESOL. XXX.

Quidam Episcopus, dum erat Religiosus, multa vota emiserat; quæsiuit à me an postea poterit irritare illa Prælatu Religiosus?
Idem dicendum est quoad Cardinales ex Ordine Religioso assumptos, aut aliquo priuilegio Pontificio exemptos. Ex p. 6. tr. 7. & Milc. 2. Resol. 26.

§. 1. **E**T pro parte affirmatiua adducebat Emmanuel Sa. ver. voti irritatio num. 5. vbi sic asserit: votum Impuberis de Religione potest patet & tutor irritare etiam post pubertatem, si in pubertate se de nouo non obligauit. Idemque dicendum de Prælato Religioso facti Episcopi, scilicet poterit similiter huius votum antea factum irritare, si illud de nouo non confirmauit Episcopus factus. Ita Emmanuel Sa.

2. Sed ego tunc in facti contingentia mortuus negatiuam sententiam tenui: nam ad irritandum votum requiritur potestas dominatiua erga sibi subiectum: sed Regularis post adeptum Episcopatum non est amplius subiectus Prælato regulari, sed immediate Summo Pontifici: ergo. Et ita hanc sententiam docet Castrus Palaus tom. 3. tractat. 15. disp. 2. punct. 3. §. 3. num. 3. Layman in *Theolog. Moral.* lib. 4. tract. 4. cap. 7. numer. 11. Et Trullench. in *Decalog.* tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 32. numer. 12. quæ citat Sanchez & Suarez. Et hæc omnia intelligenda sunt etiam quoad Cardinales ex ordine Religioso assumptos, aut aliquo priuilegio Pontificio exemptos.

RESOL. XXXI.

An Regulares possint exponere Eucharistiam publicè absque licentia Episcopi? Ex p. 11. tr. 2. & Milc. 2. Resol. 5.

§. 1. **N**egatiuè respondet Gauantus in *man. Episc.* ver. Eucharistia num. 53. & 54. vbi sic ait: Non exponatur cum solemnitate à Regularibus sine licentia Ordinarij Congreg. Rit. 26. Febr. 1628. Pro personis particularibus exponatur in ostiolo tabernaculi, aut in Pixide velata cum luminibus, & assistentia Congregat. Episc. 7. Septembris 1598. Ita Gauantus. Vnde nouissimè Illustrissimus, & amantissimus Dominus meus D. Bernardus de la Cabra in

sua Synodo Dioces. celebr. & impressa anno 1651. in lib. 2. tit. 5. cap. 7. sic ait, [Assi commo es justo que por necesidades communes, y vniuersales de la Iglesia, del Summo Pontifice, de su Magestad, y otros casos semejantes, se exponga el Sanctissimo Sacramento, para que el pueblo actuda a pedirle misericordia en sus necesidades: assi tambien es cosa indocente que esto se haga por causa particular, y le sea segun el arbitrio de cadauno. Por tanto ordenamos, y mandamos (S.S.A.) que en ninguna Iglesia aunque sea de Regulares, y exempta se exponga el Sanctissimo Sacramento, aunque sea por causa publica, sin licentia nuestra, o de nuestro Prouisor General, y Vicarios: aduertiendo que los Regulares podran por causa particular abrir las puertas del Tabernaculo, pero el Sacramento, ha de estar cubierto de manera, que no se pueda ver la Hostia consagrada: segun mas vezes lo ha declarado la Sac. Congr. de Ritus, y consta de su decreto, que es como si sigue.] Declaratio Sacrae Rituum Congr. saepius censuit, non licere Regularibus etiam in eorum propriis Ecclesiis Sanctissimum Euchar. Sacrament. publicum adorandum exponere, nisi ex causa publica, quae probata sit ab Ordinario: ex causa vero priuata posse, dummodo Sacramentum in Tabernaculo non extrahatur, & velatum maneat, ita ut ipsa Sacra Hostia videri non possit. It. Cardinalis Saquetus. Locus sigilli. C. Paulinus Sac. Congregationis Rituum Secretarius.

2. Verum his non obstantibus causam Regularium late defendit Pater Bruno de privileg. Regul. part. 1. tract. 2. cap. 3. propos. 6. Quoniam, ait ipse, Episcopus, dum eius vexillo regulares militarent, poterat sine dubio in eorumdem Ecclesiis sibi prorsus subditis Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, quoties sibi videbatur opportunum, populo publice adorandum exponere: at totum ius Episcopi in dictis Ecclesiis, in Praelatum Regularem transfusum est, ergo etiam id potest Praelatus regularis. Prima propositio patet, in qua non est distinguendum si Episcopus id poterat quatenus Praelatus Regularium, aut quatenus Episcopus, quoniam nulla ratio vrget cur id non possit quatenus regularium Praelatus, cum vna & eadem esset superioritas Episcopi relatiua indistincte ad saeculares, & Regulares subditos. Propositio secunda etiam patet, quoniam eorumdem Ecclesiis ab omni prorsus iurisdictione, dominio, & superioritate Episcopi per Papam exemptis, necessarium erat ad eorumdem perfectum regimen, vt omnis eiusdem Episcopi potestas Praelato Regulari concederetur; quod de facto actum est, vt ex innumeris Canonibus, & Pontificum Romanorum Bullis manifeste patet, & quia de Ecclesiis est sermo, in medium afferre liceat antiquum Gregorij Magni decretum, cap. *Luminoso*. Nec audeat ibi Cathedram collocare Episcopus, vel quilibet potestatem exercere imperandi, nec quancumque ordinationem quamuis leuissimam faciendi, nisi ab Abbate loci fuerit rogatus; quatenus Monachi semper manent in Abbatum suorum potestate, vt remotis vexationibus, ac cunctis grauioribus diuinum opus cum summa deuotione animi perficiant. Haec Gregorius. Cathedram autem Episcopus in dictis Ecclesiis poneret, & exerceret potestatem imperandi, & ordinandi, si non liceret Regulari Praelato sine eius mandato Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum populo adorandum publice exponere.

3. Probatu secundo, quia Praelatus Regularis potest in suis Ecclesiis, Ordinis, necnon etiam iurisdictionis, & superioritatis potestate: Sed actus ex-

ponendi Eucharistiae Sacramentum non superat hanc potestatem; ergo potest illam exercere: Prima propositio constat ex eo, quod in locum Episcopi quatenus antea superioris illarum Ecclesiarum successit. Secunda autem probatur, quoniam illius est exponere, cuius est conficere, & ministrare illud Sacramentum: hoc autem ad Sacerdotem praecise spectat. Dixi praecise, quia vt in Ecclesiis Regularium hoc fiat, requiritur in faciente sola superioritas, vel saltem illius licentia, sine iurisdictione, cum ille actus non sit iurisdictionis vt constat; Ergo cum Praelatus regularis sit simul & Sacerdos, & superior Ecclesiarum, poterit illud in suis Ecclesiis exponere. Tertia, Quia non videtur qua ratione Episcopi requiratur licentia: non enim, qua Episcopus, quoniam non est actus characteris Episcopalis, non qua Diocesanus, seu qua superior territorij, in quo sunt dictae Ecclesiae, quia illarum non est superior, & locus exemptus, iuxta Canonistas, extra Diocesim iudicandus est; nec denique quia ad eas confluat populus ei subditus; quoniam etiam ad eas sine licentia (necnon etiam ipso contradicente) conuenit populus ad audiendum verbum Dei, & Diuina officia; ad Sacramenta recipienda, ad processiones, confraternitates, funeralia, & quod maius est ad vota in manibus Praelati regularis (si sit populus ex Tertio Ordine) emittenda, & caetera facienda; quae proculdubio maiorem requirunt in Regulari potestatem, quam actus exponendi Sacramentum Eucharistiae. Quarto, Quoniam nemo negabit, quin Canonici Ecclesiae Cathedralis exemptae, & aliarum Ecclesiarum exemptarum possint illud exponere; ergo a fortiori potest illud Praelatus regularis: cum illi sint tantum exempti velut ad instar Regularium, vt inferius dicitur; & Tridentinum ab exemptionis iure illos expressè excludat; cum tamen non excludat Regulares, maiorque in suos subditos, suaeque Ecclesiae Praelatus Regularis, quam Decani, & Canonici in suos, & suas, potestate calleat. Nec obstat, Primo opponere, quod in multis Synodis Diocesanas ordinatum habetur, quod id non liceat Praelato regulari sine Episcopi licentia: quoniam illa lege Regularis non ligatur. Non obstat Secundo, quod nouae indulgentiae non possint a Praelato Regulari publicari in dictis Ecclesiis absque Episcopi licentia; ergo nec Sacramentum Eucharistiae exponi. Respondetur, ita esse, si rescriptum, in quibus continentur, hanc conditionem apponat; sin autem, in dubio res versatur. Sed supposito, quod Praelatus regularis non possit illas publicare absque Episcopi licentia; non est similis in vtroque ratio, nam indulgentiae sunt publicae extraordinariae iurisdictionis effectus delegatione Apostolica exercendus erga suos subditos: ac ex consequenti cum delegata potestas, quae non transit in ordinariam; non debeat exerceri sine Episcopi facultate, saltem ex decentia ab eodem habenda est. At verò Sanctissimi Sacramenti expositio est actus ordinariae potestatis; & idè haec licentia non requiritur. Non obstat Tertio, quod in pluribus causis a Sac. Congregat. Cardinalium decum est, id ei non licere absque Episcopi licentia; quoniam vel illa decisio est interpretatio iuris communis, vel decreti alicuius Concilij generalis, aut denique Pontificis: vel non est declaratio, sed lex: non potest dici prius, scilicet quod sit declaratio. Primo, quia nullum est ius declarandum, quod de hac materia in specie agat. Secundo quoniam declaratio alicuius iuris facta a potente non potest esse contraria iuri declarato, cum, sit vni & idem cum eo; esset autem talis, cum sint duae decisiones circa hanc materiam penitus contrariae ab eisdem

eamdem Cardinalibus emanata, vt mox constabit. Non potest dici posterius, scilicet quod sit lex; quoniam Cardinales illius Congregationis facultate polent ad legem condendam. Hæc huiusmodi decisio vt lex publicatur. Quod confirmatur ex Decreto per Cardinalem Grimaldum, tunc in Gallia Nunciij Apostolici munere fungentem, favore Archiepiscopi Burdigalensis, patribus videlicet Dominicanis inauditis, ab eadem Congregatione impetrato, 1544. in quo loquens de quodam alio Decreto circa hanc materiam alias emanato, sic fatetur: Hanc eandem opinionem secuta fuit Sacra Congregatio Episcoporum in pluribus causis. Quibus vides decisionem Cardinalium esse opinionem, non autem legem. Dices: ergo saltem hæc decisio erit opinio sequenda; cum sit tantorum virorum. Respondetur, quod si velis sequi illorum opinionem, sequenda potissimum illa, quæ vniuersaliter, ab aliis pronuntiata fuit, & non sicut hæc in causis priuatis, illa (inquam) quæ etiam auctoritate Apostolica judicialiter promulgata fuit, anno... à Nuntio Apostolico apud Hispaniæ Regem residenti in toto illo regno obseruanda: Et denique Bulla Urbani VIII. inchoata. In plenitudinem, de qua alias, qualis est hæc, cuius tenor sic habet, Sacra Congregatio Regularium censuit, & statuit, vt liceat Regularibus in eorum Ecclesiis, & intra septa Monasteriorum suorum Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum processionally circumferre: & super altari physice adorandum exponere ex quavis causa publica, vel priuata, die 2. Iulij 1580. Verum supponamus Decisionem Cardinalium legem facere, vt ego alibi disserui, certè vt reuocet Jus Regularium, & præfatam generalem eorumdem Cardinalium decisionem in fauorem omnium Regularium editam; non debet esse particularis, quoniam nulla lex in causa particulari, seu speciali lata reuocatur: imò nec generalis generalem, aut specialem; nisi habeat clausulas derogatorias ad id necessarias: Præfata autem decisio particularis, sicut & cætera; non habet aliquam clausulam reuocantem, quam Doctores iudicant necessariam, etiam in Conciliis generalibus, & rescriptis Pontificum, dum aliquod Privilegium, aut jus quæsitum reuocant, maxime si in iure communi insertum sit, aut tanquam merces datum, vt est hoc privilegium immediate suam originem trahens ab exemptione iurisdictionis, potestatis, & superioritatis Episcopalis, cuius intuitu eadem iurisdictionis, potestas, & superioritas collata fuit Præfato Regulari in suos subditos, & Ecclesias suorum omnium Monasteriorum. Et hæc omnia docet Pater Brunus, *ubi supra*. Sed mihi fas non est de purpuratorum Patrum auctoritate in suis declarationibus aliquid detrudere, solum aduerto dictam declarationem Cardinalium non videri vltu receptam, passim enim Regulares exponunt Populo Eucharistiam ad adorandum absque Episcoporum licentia, nisi dicas hoc illos effecere videntibus, & non renitentibus Episcopis, atque idè ex eorum licentia, tacita videlicet.

RESOL. XXXII.

- An Regulares teneantur seruire dies festos ab Episcopo indictos?*
Et an ad hoc possint compelli per censuras?
Et quamuis Regulares possint cogi ad obseruationem festorum ab Episcopo indictorum, non tamen quoad Octavas, nec ad festa votina populorum, qua ex deuotione obseruantur?

Et quid, quando populus obseruantiam festi voti, aut promissu? Ex p. 1. tr. 3. & Misc. 3. Ref. 6.

§. 1. **N**egatiue respondet Hinojola in *tract. de iur. ciu. Regul. verb. Festum, fol. 234.* sic enim asserit; Licet jus commune in *cap. final. de fer. pra. c. Clero*, & Populo seruanda statuerit, non tamen eam huiusmodi constitutio facta per Episcopum licet Fratres Mendicantes, quia constitutionibus Episcopis non subduntur, vt habes verbo exemptio; Neque Papa præcipit per illud *cap. final. Fratibus illa festa seruare*; alias omnia eiusmodi festa essent de iure communi sicut dies Domini, imò & ipsius Episcopii tenerentur illa iure communi seruire. Neque etiam per illud *cap. datur Episcopis facultas statuer. di dies feriatos*, quia ante illud eam habebant iure diuino.

2. Quid ergo fecit Pontifex per illud *cap. Respondetur*, quod limitauit potestatem Episcopis, seu dedit eis formam statuendi obseruantiam festorum, vt scilicet non sine clero, & populo id faciant, quia quod omnes tangit ab omnibus debet approbari.

3. Aduersus prædicta obstant hæc verba Concilii Tridentini. Dies etiam festi, quos in Diocesi sua seruandos Episcopus præcepit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus seruentur. Sed si post Concilium omnimodæ exemptionis regularium privilegia confirmata sunt, vt habes verbo confirmatio privileg. huius statutis non subijcientur, tutius tamen erit illa omnino seruire. Video enim Doctores, exemptionis Regularium tutores, eorumdem privilegiorum post Concilium confirmationem affirmantes, docere, regulares ad huiusmodi festa ab Episcopis præcepta, seruanda teneri. Et quidem non conuenienter loquuntur. Nam vel restitutionem privilegiorum exemptionis omnimodæ, non obstante Concilio negent, vel obligationem ad obseruanda statuta Episcopi tollant.

4. Saltem ergo ratione scandali ad huiusmodi festa seruanda tenebuntur, sicut ad festa, quæ Populus vouerit; etiam si Episcopus confirmatus ad quæ secluso scandalo non tenentur Regulares, quia eiusmodi votum est personale. Huculque Hinojola.

5. Sed affirmatiuam sententiam proflus sustinentem esse praxim vniuersalis omnium Regularium demonstrat, & ita hanc sententiam probat Lezana in *summa tom. 1. cap. 9. num. 46.* Sanchez in *summa tom. 1. lib. 4. cap. 15. num. 22.* Tuschus, Riccius, & Rodriguez, quos sequitur Barbosa *de potest. Episc. part. 2. allegat. 105. à num. 32.* Leander *de præcipuis Ecclesie, tract. 1. disp. 3. quest. 17.* vbi firmat hanc conclusionem, Regulares non teneri ad seruanda festiua indicta ab Episcopo, teneri tamen ad festa seruanda. Sed licet Episcopus præcipiens dies festos, obedire teneantur Regulares iuxta dicta, illi tamen Regulares, qui privilegium habent à Sede Apostolica ne possint ab Ordinariis obligari per censuras ad aliquid faciendum, non possunt obligari ad hoc per censuras ab ipsis Episcopis impostas. Vnde declaratio quædam Sacre Congregationis, quam ex Sello in *Selest. Canon. cap. 2. num. 11.* Refert Barbosa in *Collect. Bullar. verb. Festum*, in qua dicitur declarasse Sacre Congregationis in una Otientia anno 1627. Regulares posse compelli per censuras ab Episcopis ad obseruantiam festorum, intelligi debet (casu quo illa declaratio sit Authentica) de Regularibus non habentibus tale privilegium, vt obseruat Lezana in *summa tom. 3. verb. Exemptio Regularium*.